

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3977

**Auteur(s)** : Philippe II Auguste, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1190, décembre

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Philippe [II], roi de France, confirme l'annulation de la vente que l'abbé Samson et les moines de Saint-Ouen de Rouen avaient faite à Girard Chotard de tout ce qu'ils possédaient au village d'Issou.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 431.
- b. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1052, p. 274.
- c. Berger Élie, Delaborde Henri-François, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 1, années du règne I à XV (1er novembre 1179-31 octobre 1194), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; V), 1916, n° 370, p. 456-457.

Texte établi d'après b

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod frater Sanson, abbas Sancti Audoeni de Rotomago, et conventus ejusdem ecclesie vendiderunt Girardo Chotart illud quod habebant in villa que dicitur Icoq, pro centum quinquaginta libris andegavensium. Istam vero vendicionem carta et sigillo capituli sui confirmaverunt, et eandem cartam predicto Girardo tradiderunt antequam nominata inter eos vendicionis pecunia redderetur, Guidone de Rupe existente plegio de pecunia predicto conventui persolvenda, vel de carta reddenda. Priusquam autem predictus G. aliquid de predicta pecunia reddidisset, nos precepimus eum sub nostra custodia detineri, ita quod ipse nominatam pecuniam reddere non potuit, et cartam quam ab illis monachis acceperat se dixit perdidisse, et, quia nec pecuniam nec cartam reddere potuit, predictus G. et heredes sui illius vendicionis pactionem predictis monachis ex toto quitaverunt. Quamobrem, ne occasione illius carte, si forte inveniatur, aliquod dampnum monachis et ecclesie provenire possit im posterum, nos illam cartam, si quis eam forte malignandi causa produxerit, viribus carere precipimus, et ex toto quassamus, et dicte vendicionis quittance, a G. et heredibus factam, nostra presenti carta confirmamus, precipientes districtius ne aliquis predictos monachos super predictis pactionibus de cetero vexare presumat. Hec autem quitatio ab heredibus ipsius Girardi facta est in presentia nostrorum burgensium, qui sigillum nostrum custodiunt, scilicet Teboldi Divitis, Athonis de Gravia, Roberti de Carnoto, Ebroini Campsoris. Quod ut stabile permaneat et firmum, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato roboramus. Actum Parisius anno Incarnati Verbi M° C° nonagesimo, illo anno quo iter arripuimus Jerosolimitanum,

mense decembri, astantibus in palacio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa : signum comitis Theobaldi, dapiferi nostri ; signum Guidonis buticularii ; signum Mathei camerarii ; signum Radulfi constabularii. Data vacante cancellaria.